



4563, 6



a. 0,50, l. 0,085, cr. 0,035-0,044; litt. 0,015-0,022. — 4 fin. videtur L, potest fuisse etiam E. — 17 vix c]os; e. g. Primitiv]os.

4563, 7



3,1

a. 0,085, l. 0,22, cr. 0,062. — 1 in. fueritue P an T, incertum.

Descripsi; maiore ex parte contuli etiam ad imagines quas mihi luce expressit Margarete Gütschow. Edidit, composuit, alba Augustalium esse cognovit Calza *Not. d. sc.* 1918 p. 223 sqq. (fragmentum n. 4560 col. II [b α] vv. 9-16 edidit iam Vaglieri *Not. d. sc.* 1913 p. 234 n. 15); eundem etiam post editionem fragmentis inter se componendis operam dedisse apparuit mihi editionem cum lapidibus ipsis nunc in illa 'curia' propositis conferenti; denique additamentum (4563, 5) dedit *Not. d. sc.* 1927 p. 388 sqq. n. 35. Complura ipse adiunxi et coniunxi; n. 4564, 1 a et b composuit Dessau.

Genere lapidis et ductu scripturae fasti et alba, de quibus agimus, paene omnia inter se similia sunt; differunt a ceteris duae tantum partes:

1) fragmentum 4562, 7 (a. 232/235) litteris inscriptum est latis, magnitudine hic illic inter se diversis; forma litterarum similis mihi videtur esse titulus C. VI 1159 = Huebner *Ex. scr. epigr.* 503 (a. 239). Etiam genere marmoris haec pars a ceteris discrepat;

2) fragmentum 4562, 8 (a. 296/297) litteras praebet haud malas, sed quae aetatem labentem prae se ferunt.

Ceterae partes omnes, nisi erravi, eundem fere ductum scripturae exhibent, etsi hic magis, illic minus elegantem; litterae simplices sunt, non optima, sed bonae formae. Quin etiam dixerit quis hos fastos neque quotannis (4560) neque alternis annis (4562, vide infra) inscriptos, sed nomina multorum annorum semel comprehensa et eadem manu incisa esse: quae coniectura ut ipsa per se haud verisimilis est, ita eo refellitur, quod in fragmento 4564, 1 nomen Commodi consulis a. 190 erasum est; harum inscriptionum auctores enim, si fastos suos compluribus demum decenniis post inscripsissent, non habuissent, cur nomen Commodi primum scriberent, deinde delerent.

Etiam primum perlustranti moles fragmentorum ipsa se dividere videtur in partes magnas duas, quarum altera (n. 4560-4562) annorum determinationes, scilicet consulum nomina, continet, altera (n. 4563) tali determinatione omnino caret.

Nunc ut primum inquiramus in partem eam, quam fastos recto nomine appellare possumus, quippe quae in singula capita sive annalia sive biennalia distributa sit, pertinentes ad finem saeculi primi et ad saeculum tertium, nemini dubium esse potest quin fastos ordinis Augustalium i. e. sevirorum Augustalium ante oculos habeamus (quem ordinem

saeculo primo exeunte vel secundo ineunte in locum Augustalium nude dictorum successisse demonstrabam supra in praefatione p. 611). Primum enim in fragmentis n. 4564 verba *ex decr(eto) ord(inis) Aug(ustalium)* — de quibus infra — ter inveniuntur; deinde complures ex iis, quorum nomina in his albis afferuntur, in ordine Augustalium fuisse etiam aliunde scimus; accedit, quod nisi inter se viros Augustales vix in ullo collegio tot *quinquennales* reperiuntur quot in hoc recensu nominum.

Sequitur collatio fastorum nostrorum cum titulis dudum notis sevirorum Augustalium Ostiensium:

L. Combarisius Hermian[us] 4562, 1 v. 8 — *L. Combarisius Hermianus VIvir Aug. idem qq.* supra n. 333 (cuius frater *Combarisius Hesperio* n. 333, 7 videtur idem esse atque *L. Combarisius Hesperio* 4562, 1 v. 12).

T. Marcius Chrysostomus 4562, 3 I 15 fortasse idem atque *T. Marcius Chrysostom(us)* supra n. 461 unus ex quinquennialibus sine dubio Augustalium (a. 239); cf. n. 255 I 24.

Q. Aeronius Antio[chus] 4562, 3 II 19 — *Q. Aeronius Antiochus sevir August. et qq. eiusdem ordinis* supra n. 4140.

A. Livius Strato 4562, 6 v. 17 — *A. Livius Strato sevir Augustalis idem qq.* supra n. 380.

-- *Cl[audius Urb]* --- 4562, 7 v. 13 fortasse idem atque *Ti. Cl. Urbanus sevir Aug. item qq.* supra n. 330 (cf. 814).

[*A. Egrilius Hermes* 4560, 1 col. II (a) v. 3: vix idem supra n. 433, infra n. 4663; cf. n. 4663 not. et supra p. 611.]

[Adiungo nomina selecta fastis nostris cum reliquis inscriptionibus Ostiensibus communia:

C. Calpurnius Carp[us] 4560, 1 col. III (b β) v. 5 cf. 747.

-- *Laecanius Felicissim[us]* 4561, 2 v. 3 — *C. Laecanius Felicissim[us]* 4562, 1 v. 10 — *C. Lecanius* (sic) *Felicissimus* n. 251 VII 21 (a. 192).

Q. Veturius S --- 4561, 2 v. 7 — *Q. Veturius Secundus* supra n. 25.

A. Larcius Adiutor 4562, 1 v. 7 cf. infra n. 4997.

L. Papius Crescens 4562, 3 I 4 cf. 1235.

Sex. Iulius Asclepiades 4562, 3 I 6 et *M. Vibius Onesimus* 4562, 3 I 7 videntur iidem esse atque *Iul. Asclepiades* et *M. Vibius Onesimus* n. 1771.

L. Arrius Eutyches 4562, 4 II 14 cf. 1010. 4152. 5371.

L. Florius Euprepes 4562, 2 a I 14 a. 198/9 haud idem esse potest atque *L. Florius Euprepes qq. c. p.* n. 352 b a. 251; accedit, quod fieri non potest, ut summus magistratus coloniae sevir Augustalis sit.]

Hos fastos dividendos esse censui in partes tres:

4560 fastos curatorum;

4561 fragmenta in quibus passim inveniuntur verba *ex decr(eto) ord(inis) Aug(ustalium)*;

4562 fastos electorum et quinquennialium.

Iam transeamus ad singulas partes breviter interpretandas.

4560 Fragmentis huius partis fastos curatorum contineri cognoscitur ex formula *ob h. c. HS X*, quae in his fragmentis ter occurrit (1 col. II [b] v. 10. col. III [b β] v. 2. 10); curatores dono dant *ob h(onorem) c(urae) (sestertium) (dena milia)* (explicavit iam Calza); cf. supra n. 367, 8. — Fragmenta quae supersunt pertinent ad annos 193-194. 195. 199-201; quod collegerat Dessau ex titulis supra n. 12. 316 curam de solito munus annum fuisse (v. supra p. 5), iam confirmatur cum titulo infra n. 4641 tum his fastis; neque obstat, quod ego titulum n. 316 aliter interpretandum esse censeo (v. infra). — Curatores quinquennialibus — sc. quinquennialibus quattuor primis, non quinquennialibus d. d. (v. infra) — dignitate inferiores esse concludi potest ex titulo quem dudum citavi n. 316 et ex titulo n. 464, qui maxime nos de gradibus honorum ordinis Augustalium edocuit et quem recta coniectura Augustalibus Ostiensibus a Dessavio attributum esse ex his fastis apparet; cui accedit nunc titulus supra n. 4559, ubi vide. Optime autem convenit, quod *A. Livius Hermes* curator a. 193 (4560, 1 II [b α] v. 9) recensetur — si idem est — inter quinquennales primos a. 198/199 (4562, 2 a v. 12); *L. Oruncius Zoilus* autem quinquennialis d. d. factus a. 196/197 (4562, 4 v. 14) curam agit a. 201 (4560, 1 III [b β] v. 6). — Enumerantur anno 193 curatores octo, a. 201 quinque;